



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. VIII. An, & quâ ratione factum, vel omissio Procuratoris noceat Domino, seu principali, & quinam alij sint effectus mandati Procuratoris?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

sententia illi non transeat in rem iudicatam, prosequi autem appellationem, si alia instantia, ad quam constitutus non fuit Procurator, nisi in genere fuisset constitutus ad omnes lites, aut appellatio tantum facta esset à sententia interlocutoria (in his enim casibus tenetur prosequi etiam appellationem, eò quòd mandatum ad omnes se lites extendat, & per sententiam interlocutoriam non finiatur prima instantia, ad quam constitutus fuit Procurator) Quintò denique ex *c. Non indiscretè* 1. §. licet & §. Procurator h. 1. in 6. patet, quomodo substituere possit suo loco Procurator alium Procuratorem. Regulariter scilicet illud non licere, nisi post litem à Procuratore contestatam, per quam sit Procurator Dominus litis, non autem ante litem contestationem, nisi in rem suam Procurator datus sit, seu in proprium commodum, aut à Domino expressam accepisset potestatem, etiam ante litem contestatam substituendi alium, vel tantum ad extrajudicialia negotia constitutus esset, quo in casu sine speciali mandato Domini ad unum aut alterum casum vel Articulum, qui speciali mandato non indiget, aut ad quem expediendum non fuit electa industria personæ, Procurator alium substituere potest.

§. VIII.

An, & quâ ratione factum, vel omisso Procuratoris noceat Domino, seu Principali, & quinam alii sint effectus Mandati Procuratorii

SI procurator omisit aliquid, quod ex legis vel iudicis præcepto Dominus

iple facere debuisset, hic verò Procuratori suo faciendum commisit, nocet tale omisium Domino, nisi casus fortuitus Procuratorem impedivisset, à tali se sibi à Principali demandata faciendâ.

Quòd si verò Lex aut Iudex ipsi Procuratori faciendum aliquid demandasset, & hic negligentia suâ id omisisset, non Domino hæc omisio nocet, *c. 1. Vt lite non contestata* &c. nisi sciat Dominus, & tolleret negligentiam aut contumaciam Procuratoris, in tali enim casu tacite consentire videtur. Si autem certum non sit, omissionem Procuratoris cadere in delictum, & pœnam mereri, præjudicabit Domino talis omisio, qui sibi imputare debet, quòd imperitum & negligentem Procuratoris constituerit, quæ verò à Procuratore positivè fiunt, & illicitè, pœnæ obnoxia, non præjudicant Domino, nisi speciale mandatum ad illa faciendâ habuisset Procurator, vel rem ab hoc illicitè factam, ratam postmodum habuisset Dominus aut Principalis, cum delicta suos debeant tenere Auctores. Confessio tamen Procuratoris post litem contestatam in iudicio facta ordinariè Domino præjudicat (uti constat ex *c. Suborta* 21. junctâ *Gloss. V. per Confessionem. De senten. & re iudicat.*) nisi Dominus illam revocet, & ostendat errorem.

Alios plures effectus Mandati Procuratorii vide apud Auctorem hîc, vel apud Civillistas.

§. IX.